







1800  
25

DE  
JUSTITIA ARAGONUM  
FRAGMENTUM

COMPLECTENS SUCCINCTAM HUIUS MA-  
GISTRATUS HISTORIAM AB ANNO 1348  
USQUE AD ANNUM 1479.

DISSERTATIO HISTORICA,

QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO SE-  
RENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AUGUSTO

DUCE SAXONIAE JULIACI CLIVIAE MONTIUM ANGARIAE  
ET GUESTPHALIAE REL.

CONSENTIENTE

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM  
ORDINE

PRO VENIA LEGENDI RITE OBTINENDA  
PUBLICE DEFENDET

A. D. 25. AUGUSTI. 1800.

AUCTOR

CAROL. WILH. FRID. BREYER

PHILOSOPHIAE DOCTOR

RESPONDENTE

MATTHIA LIPTAY

HUNGARO.

I E N A E

EX OFFICINA FROMMANNI ET WESSELEHÜFTLI





VIRO VENERANDO

*HENRICO EBERHARDO  
GEORGII*

BUCI WIRTEMBERGIAE A CONSILIIIS, CONSISTORIALI ET  
REDITUM ECCLESIASTICORUM ADVOCATO

SACRUM.

(1) 8



VINO VERREBANDO

UENNO EBREBANDO  
GEODI

Qu  
ma n  
gi p  
fertin  
Alii  
Alii  
alter  
Eph  
infi  
Arec  
Noft  
  
ratur  
tror  
nam  
  
gula  
occa  
rian





Quonam modo is, cui commissa est in civitate summa rerum potestas, ad politicae legis reverentiam cogi possit? quaestio est, in qua solvenda nostrae praesertim aetatis homines magnopere inter se discrepant. Alii enim bonis Diis reipublicae salutem permittunt. Alii duas potestates in civitate postulant, quarum una alteram vi aequando temperet atque coerceat. Alii Ephoratum politicum vel Conservatorum Senatum instituendum curant. Alii denique de populorum Arcopago philosophantur.

Nostrium jam non est, tantas componere lites.

De *Justitia* tantummodo *Aragonum*, quae memoratu digniora sunt, jamjam enarranti animus est, retrorsum divinare, ut historici esse perhibent; quonam modo quaestio illa, experientia duce, solvenda sit.

Habes vero hic B. L. fragmentum tantum de singularis hujus Magistratus historia. Alia forsitan oblata occasione totam *Aragonum* eorumque *Justitiae* historiam tibi enarrabimus.



Omnis Justitiae Aragonum historia nostra quidem sententia tribus absolvitur periodis.

Prima quidem periodo, quam ab initio regni Aragonum usque ad annum 1348. perducimus, iudicis magis personam gessit Justitia quam Ephori. Tum enim duodecim Seniorum, ex optimatibus delectorum, auctoritate primum, deinde acerrima unionis vi reges Aragonum ferme penitus erant circumclusi.

Secunda periodo, a deleta nimirum unione usque ad Ferdinandum II. Catholicum, florebat quasi Justitiæ dignitas atque potestas.

Ferdinandi inde a temporibus usque ad initium sæculi XVIII. paulatim deflorescere coepit atque cadere singularis ille magistratus.

Nobis jamjam de secunda periodo sermo erit.

In Comitibus, anno 1348. Caesaraugustae habitis, uno omnium consensu, regis scilicet ac regni, quamprimum decretum fuit: *Unionem funditus esse deletam.*<sup>a)</sup> Quid? quod archetypa ipsa privilegia? Petrus IV. rex, pugniunculo quodam, quem assidue secum gestabat, rescidit, suoque sanguine, quem e digito elicerat, tinxit, justum erat, inquiens, ut, si quæ fuerant tot virorum sanguine atrata, non nisi regis ictu conciderent. Praeterea ne in aliquibus forsitan tabulariis aut privatis scriniis aliqua dictorum privi-



legiorum exempla manerent, quae in posterum possent Aragonum animos revocare ad unionis pristinae vim; ardenti studio curavit rex, ut, quaecumque inveniri possent, sive publica sive privata essent, ac sive de unione ipsa agerent, sive nequaquam, penitus interirent.

a) Cf. Aragonensium rerum Commentarii. Hieronymo Blanca, Caesaraugustano, Historico regni, auctore. Caesaraugustae 1593, in Hispaniae illustratae Tom. III. p. 671. et p. 810. et 811. Addidit Blanca p. 671. Per id temporis plurimae interierunt nostrae vetustatis tabulae; eaque jactura miram adtulit in antiquis nostris rebus obscuritatem ac tenebras, ac quam nunc ceruimus in scriptorum judiciis infirmitatem. Cf. idem p. 572.

b) Praecipua horum privilegiorum ab Alfonso III. anno 1287. irrogatorum haec fere fuisse capita. I. In pace et iustitia rex regnum regito. II. Jura dicere regi nefas esto, nisi adhibito subditorum consilio. III. Bellum aggredi, inducias agere, remve aliam magni momenti pertractare, caveto rex, praeterquam Unionis annuente consilio. IV. Contra Justitiae interdictionem, quae Jurisfirma vocatur, rex in neminem animadvertito. V. Si rex ejusve haereditas irrogatas leges abrogaverint, jus fasque esse Aragonensibus, alium sibi regem adsciscere: nulla laesae fidei nota ignominianae. cf. Blanca l. c. p. 588-590. et p. 662. Hieronymus Zurita. Indices rerum ab Aragoniae regibus gestarum. L. II. in Hisp. illust. T. III. p. 176. et Joannes de Ferreras. Historie von Spanien. Deutsche Uebers. T. IV. P. VI. p. 427. et Las Obras y Relaciones de Anton. Perez. Secretario de Estado. 1634. pag. 143.

Memorable profecto est, hoc eodem saeculo decimo tertio simile quoddam privilegium Hungaris a rege ipsorum fuisse concessum. Andreas nimirum II., cujus filiam Jolantem Jacobus I. Expugnator, Aragonum rex, et Alfonsi III. avus anno 1234. in matrimonium duxerat, privilegiis quae Hungaris irrogarat anno 1222, celeberrimum illud addidit decretum: *Quodsi vero nos, vel aliquis successorum nostrorum, aliquo unquam tempore, huic Dispositioni nostrae contrarie unquam voluerit, liberam habeant harum dispositionum auctoritate, sine ulla nota infidelitatis, tam Episcopi quam alii Jobbaciones aut nobiles regni universi, et singuli praesentes et futuri posterique, resistendi et contradicendi nobis et nostris successoribus in perpetuum, facultatem.* cf. Histoire des Revolutions de Hongrie a la Haye 1759. T. I. p. 15. Vix ac ne vix quidem abstinere me possum, quin conjiciam, nationum harum alteram communicasse cum altera notiones suas de jure atque libertate. Accedit, quod Gregorius IX. Romanorum Supremus Pontifex illius conjugii inveniendi auctor suaviorque fuerat. cf. *Bernardus Gomesius Miedes, Archidiaconus Saguntae, de vita et rebus gestis Jacobi I. regis Aragonum, cognomento Expugnatoris. Valentiae 1572. in Hispania Illustrata. T. III. p. 465. et Blanca l. c. p. 652.*

## §. 4.

Deleta unione maxima ejus vis in Magistratum Justitiae Aragonum translata fuit, decretumque unanimi consensu: ut universum regni ac regum jus non jam ferro aut gladio, sed istius Magistratus censoriae notationi in posterum subiaceret. <sup>a)</sup>

Cui quidem decreto cur non solum populus verum etiam rex libenter adensus fuerit, haut sane est, quod mireris.



Etenim quum ipsum hoc certamen, quo unis deleta fuit, Petrum IV. edocuillet, priscum illum atque ardentem libertatis amorem inflammare adhuc Aragonum animos; eo quidem dementiae non processit, ut absoluto imperio regnum subicere conaretur. Dein vero amplificata Justitiae dignitas non poterat non accepta esse regi, quum Magistratus hic quasi medius inter ricos homines <sup>b)</sup> (*ricos hombres*) atque regem iudex constitutus esset, adeoque rex perfringium haberet adversus optimatum impetus.

Aragones vero ipsi alacri vultu atque ore majorem in Justitiam potestatem transtulerunt, quum Unio, in cuius loco substituebatur, nihil aliud fuisset, nisi uberrima ferendi quotidie domestica bella, civiliumque seditionum materia ac leges. Jamjam vero Justitia in eo potissimum vires suas exercere coepit, ne quis contra regis regionumve ministrorum illegitima iussa atque imperia auxilii egeret: aut potentiorum injuria premeretur: ac fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituere, ne vis inferretur, illum oportebat. <sup>c)</sup>

a) cf. Blanca l. c. p. 671 et p. 810. 811. Zurita in Hisp. illust. T. III. p. 199. Joannes Mariana de rebus Hispaniae, in Hisp. illust. T. II. p. 604. Ferreras IV. P. VII. p. 267.

b) *Rici homines* apud Aragoes olim nominabantur, qui ex Optimatibus genere ac nobilitate erant primi, principemque in republica tenebant auctoritatem et locum. (Der höchste Adel.) Ex horum coetu Justitia Aragonum eli-

gi non poterat. Etenim jam anno 1265. regnante Jacobo I. sancitum fuerat: ut qui magistratum gereret Justitiae Aragonum, ex eorum Ordine necessario esset, qui militari sunt cingulo insigniti, à e. ex Equestri ac militari Ordine.

c) Utrum populus an rex prior hoc de Justitia decretum proposuerit, nos quidem in harum historiarum monumentis frustra quaesivimus. Etenim quoscunque hac de re vidimus, scriptores hoc decretum fuisse simpliciter tantummodo enarrant. At quum non solum amplificata Justitiae dignitas calliditati, qua Petrus IV. praeditus erat, maxime consentanea esset, verum etiam rex Justitiam jam antea in suas partes adduxisset a), nos quidem conjicimus, Galatianum Tarbam β), Justitiam, qui Comitibus Caesaraugustae habitis adhaerebat, ab illo incitatum fuisse, ut Justitiam am-

---

a) Blanca l. c. p. 810. refert: quoquo vero modo res sese habuerit, Galatianus Tarba, quos prius severat amicos, postea virtutis suae stitentes deseruit, eamque Unionis causam, quae publica tunc esse censebatur, derelinquens, regis Petri sequutus est imperium. Et p. 812. Petrus IV. omni ope et opera ensus fuit, ut Galatianum Tarbam in suam sententiam adduceret, quod auctoritatem ejus perquam magni aestimaret. Postea vero eundem magistratum praeposuit, tunc cum exulceratae magis et exagitatae res erant.

β) Blanca l. c. p. 811. 812. hanc tantam morum et disciplinae nostrae mutationem istius Justitiae operae ac industriae magna saltem ex parte tribuimus: quandoquidem eam tunc personam insinuit, Magistratus siquidem Justitiae Aragonum, quae ipsorum Comitiorum futura erat ac certe fuit, temperatio et mens.



plicationem Aragonibus proponeret. 7) Quid? quod teste Blanca rex ipse post victoriam in Epilensi agro reportatam illico comitia convocari iussit, ut facientes Aragonum animos in retinendae libertatis induceret spem.

## §. 5.

Vix ac ne vix quidem Aragonia e seditionis fluctibus emerferat, quum nova jamjam calamitas ipsi immineret.

Etenim quum Petrus IV. rex anno 1351. *Perpiniani* degens Joannem, tenerum adhuc filium, ex regina Eleonora procreatum, futurum successorem ab omnibus regnis acclamandum decrevisset, et ad eam rem Aragoes per publicas litteras iussisset accersiri, ut illuc ad constitutam diem omnes venirent, solito foedere puero regni devincturi fidem; hunc regis conatum *Joannes Lupi Sessifius*, tum temporis Justitia, refutavit, libere et audacter edicens, evocari ex eo oppido Aragoes non licere, neque extra patriam consilium ipsis vadimonium posse: sed in urbem Caesaraugustam convocandos, et ibidem Comitii institutis illam ferri rogationem jus esse: quod haec urbs hanc praerogativam haberet, ut in templo maximo illius, priusquam alibi, regibus regnare incipientibus, co-

---

7) His non contradicit, si Blanca p. 810. refert, lenissime talisse regem, ut in Justitiam congererentur et potestatis et dignitatis ornamenta permuta.

rumque filiis primogenitis, cum futuri successores designantur, publica ipsa fides solenni religione obligatur. Quin immo Aragonenses in ea re ita ceterorum regnorum faciem prae se ferre, ut non jam ibi pro se ipsis solis viderentur adesse, sed illustrem et claram totius regiae ditionis vocem, singulorum voluntatis indicem, personare. His aliisque sententiam suam regi probavit Iustitia, ut quamquam ea de re litterae scriptae erant et obsignatae, rex illas praeceperet statim conscribi, nullamque fieri juris Aragonum iacturam. Atque ita haec, quae tunc commota fuerant, in pace et otio quam cito resederunt. <sup>a)</sup>

a) cf. Blanca l. c. p. 313. Zurita l. c. p. 203. Ferreras l. c. T. V. P. VIII. p. 309.

6. 6.

Igneam, quam vocant historici, Petri IV. naturam ipsarum rerum tractatio et usus sabinde flectere coepit, tempora lenierunt, ipsa quoque aetas mitigavit.

Plures per annos nil invenitur, quo rex Aragonum libertatem labefactare voluerit. At quum ad finem jamjam vergeret vita illius, uxore incitatus erga filium simulque regnum injuriam commisisset, nisi Iustitiae intercessione impeditus fuisset.

Etenim filius ejus Joannes, novercae reginae infideliis circumventus, in tam acerbum odium patri ve-



nerat, ut anno 1386. ab ipsa generali regni gubernatione publico regis edicto, ne quis filio obtemperaret, depelleretur. Quod cum filius contra, ac liceret, factum praedicaret, quia ad se tamquam primogenitum, futurumque haeredem a rege et regno designatum generalem illam gubernationem certo ac legitimo jure pertinere adfirmabat, ad paternam hanc injuriam propulsandam, magistratus Justitiarum Aragonum fidem imploravit. Ipsi autem magistratui tunc praeerat *Dominicus Cerdanus*, vehemens ac disertus vir, inprimisque ad resistendum fortissimus. Itaque coram eo Joannes ipse ut Primogenitus judicialem obtulit de rege patre querelam. Dominicus autem Cerdanus id, quod a Petro IV. factum fuerat, nefas declaravit: Regique de vi interdicens <sup>a)</sup> Magistratus auctoritate edixit, ut Joanni primogenito generalem illam regnorum gubernationem, a qua illum injuria dejecerat, restitneret, tanquam certum et definitum Primogeniti jus: contra quam rex censuisset. Quod si se hujusmodi edicto crederet laesum, jure cum filio coram ipso Justitia contenderet. Se enim utrique parti aequabilem ac justum judicem offerebat. Petrus rex hujusmodi interdicto non solum opere (ad id enim legum ac magistratus premebatur vi) sed animo ac mente liberalissime conquivit. <sup>b)</sup>

a) Ejus namque magistratus interdictis oppositis, nihil regii imperii aut summae potestatis sit reliqui. cf. *Zurita* l. c. p. 249.

b) cf. *Blanca* I. c. p. 675. *Zurita* I. c. p. 248. 249. *Ferr.*  
*veras* I. c. T. V. P. VIII, p. 592.

## §. 7.

*Joannes* I., qui ab anno 1387. usque ad annum 1395. in Aragonia regnavit, Petro IV. patri perquam dissimilis erat. Petrus enim vivido ingenio erat, bel- laque ex bellis serendo imperium amplificare studuit, belli et pacis consilia utilitatē magis metiri solitus quam honestate. Joanni autem mitis ac tractabilis animus fuit, nisi naturam fortuna corrumpere ant- gravis aliqua injuria ad vindictam provocaret. Otiū quam belli cupidior rex *Gaya* <sup>a)</sup> magis delectabatur quam gloria.

Qualem se *Joannes* I. erga *Justitiam* sui temporis praeberit ex iis, quae jamjam enarrabimus, satis elucebit.

*Caesarangustani* quidam cives, quos contra jus atque leges in carcerem contrudi jusserat rex, ut hanc regis violentiam evitare possent, in aram *Justitiae* Aragonum confugerunt, ab eo firmissimum ac sum- mum illud, quod vocabatur, *manifestationis* auxilium flagitantes. <sup>b)</sup>

*Joannes Eximius Cerdanus*, tum temporis Arago- num *Justitia*, vir sapiens atque disertus, magnoque, quod ipsi commissum fuerat, munere dignissimus, adscitam magistratus opem civium periculis sublevan- dis protinus impertivit.

Rex id acerbē ferens, quorundam suorum im-



pulsa, eidem adjunctum, quem vocabant, judicem dandum decrevit. Inde magna partium contentio orta est, civibus, id potestatis non penes regem esse, contententibus, rege vero contrarium enitente. Ne de ea re iudicium faceret, priusquam, quid faciendum sit, in regio consilio praescriptum esset, quamquam per privatos nuntios rex praeceperat Iustitiae, tamen hic contra eam rem minime dubiam statim iudicavit: a se in dicta causa sine ullo adjuncto jus dici debere.

Postea ad regem accessit Cerdano Procancellarius proponebat: ut de causa civium, antequam sententiam pronuntiaret, ad regium consilium referret. Huic respondit Iustitia, rem jamjam a se iudicatam, eamque iudicis adjunctionem penitus esse repulsam. Tunc rex illum, acriori adhibita oratione, de iudicii aequitate et jure postulavit. Verum Cerdanus graviter et acute causam in tempus conferens, hac fuit usus urbana et justa exculpatione: *Que faulando con reverencia del dito Senyor Rey non lo podia fazer. Car de los feytos del Officio, si era affrontado, devia da razon en Cort general, et non en otro lugar.* (Dafs mit Ehrerbietung gegen den besagten Herrn König zu reden, er es nicht thun könne. Sintemal er von den Handlungen seines Amts, wenn er vorgefordert würde, vor den Cortes Rechenschaft geben müsse, und an keinem andern Orte.)

Joannes, aegre ferens Cerdani responsum atque constantiam, et a quibusdam hominibus in Iustitiam acriter concitatus, statim sequenti die in Zuerae op-

pidum fecerit, venationis confictae causa, Iustitiamque et alios duos viros, Cerdano amicos, et, ut rex putabat, facti conscios atque participes, quamprimum ad sese iussit evocari.

Cerdanus ejusque amici quanquam a nonnullis commonefacti erant, ne regem adirent, dicto tamen audientes fuerunt, praefertim vero Iustitia constanter secum statuit, omnem cruciatum perferre potius, quam ut aut officium proderet aut fidem.

Tum ad confictam illam venationem cum amicis invitatus, quasi eum apud se rex Zuerae cuperet aliquandiu versari, forensi causa omnino supplota, Cerdanus, quae magna fuit in homine jucunditas, et magnus in jocando lepos, ita se perhibet respondisse: *Que men de marauillana mayto, que el Senmor Rey nos mandasse yessemos al dito lugar de guerra à la dita caça. Car non creya, que tan malos tres caçadores, hauiessè en el regno, como nosotros.* (Daß man sich sehr wundern, daß der Herr König uns befehle, wir sollten an den besagten Ort Zuera zur besagten Jagd gehen. Denn man glaube nicht, daß es drey so schlechte Jäger im Königreich gebe, als uns.)

Tandem Zueram versus profecti sunt. Ubi dum pervenerunt, rex eos liberaliter excepit, ac Procellario aliisque praesentibus ita sermonem suam orsus est: *Iusticia, yo he embiado por vos, por la razón, que vos dira el Vicecancellor.* (Iustizia, ich habe nach euch gesandt ans dem Grande, welchen euch der Vicecanzler sagen wird.)



Procancellarius eadem repetens, quae Caesaraugustae dicta fuerant, permulta verba contra sententiam, in ea civium causa latam, denuo facere coepit, Justitiaeque Aragonum nimiam in ea ferenda celeritatem vehementer exprobravit. Tandem rex, interrupta illius oratione, his verbis Cerdanum est affatus: *Justicia, hoc en buena manera os lo digo.* (Justitia, dieß sage ich euch auf gute Weise.) Quae verba continenter ab eo ter aut quater repetita fuere, quasi vellet, illa non tam exprobrandi causa, quam commonendi gratia, dicta judicari, vel fortasse cuperet meritam sibi gratiam ab eodem Justitia memori mente persolvi, quod rex tam lente sustineret, quae ipse in magistratu decreverat, ut regi visum fuerat, injuriose. Attamen ille, quo se, ut fas erat, humilem et urbanum regi exhiberet, quoties eadem sibi verba proferebantur, osculans regis manum, his verbis ejus benevolentiam est aucupatus: *Yo vos lo tengo Sennor en gratia, e merce: que mas son estas paraulas de padre, que non de Sennor.* (Ich nehme es von euch als eine Gnade an, Herr, und danke, weil diese Worte mehr die eines Vaters, als eines Herrn sind.)

De reliquo nil quidquam laxari permittit ex eo jure, quo erat adstrictus. Constantem virum Ioannes cum bona gratia dimisit. Univerfa autem civitas, ac totum fere regnum, quasi suis sedibus convulsam, ad complectendum suam conservatorem procedere obviam festinabat. ☉

a) cf. *Zurita* l. c. p. 251. *Mariana* l. c. p. 746. et illust. *Eichhorn* in libro: *Allgemeine Geschichte der Cultur u. s. w.* T. I. Erläuterungen p. 99. nr. 13. *Von dem Confistorio de la Gaya Sciencia zu Barcelona.*

b) *Manifestationis* vim ita explicavit *Blanca* l. c. p. 674. 675.: est apud nos *manifestare* reum subito sumere, atque e regis manibus extorquere, ne qua ipsi contra jus vis inferatur. Non quod tunc reus iudicio liberetur: sed quod deinceps *manifesto* teneatur, quasi antea celatus extitisset; necesse que deinde sit de ipsius culpa non impetu et cum furoris, sed sedatis profus animis ac iuxta constantas leges iudicari. Et p. 751. addidit: *Manifestationis* potestas tam solida est ac repentina, ut homini jam collum in laqueum inferenti subveniat. Illius enim praesidio damnatus, dum per leges licet, quasi experiundi juris gratia, de manibus iudicum confestim extorquetur et in carcerem ducitur ad id aedificatum, ibidemque asservatur tamdiu, quamdiu iurare an injuria, quid in ea causa factum fuerit, iudicetur. Propterea carcer hic *la carcel de los Manifestados* nuncupatur. A cuius ingressione supremi iudices omnino prohibentur: ut eorum praecipiti iracundiae eo pacto subtrahatur materia. Quodsi aliquid contra, ac per leges liceat, factum est; pro irrito habetur et infecto. Sin vero nihil fuit decretum contra jus; *manifestationis* tollitur interdictum, regionumque iudiciorum retardata illa excitatur potestas, ut nocentium supplicio scelera et fraudes constringantur. cf. etiam *Las Obras y Relaciones de Antonio Perez.* p. 141.

c) cf. *Blanca* l. c. p. 675. 676. *Zurita* l. c. p. 255.

§. 8.

Antiqua jamjam lege sancitum fuerat, ut *Iustitia* ipse, nisi in temperando temperantiam adhibue-



rit, aut si nullo alio modo muneris gravissimi leges violarit, gravissimas cenforii iudicii poenas subire debeat.

Cenforium vero hoc iudicium usque ad annum 1590. per Curiam Generalem, de biennio in biennium celebrandam, fuerat exercitum. At quoniam illud certa ac legali forma hucusque haut fuerat adstrictum, ad inquirenda singula quaeque Iustitiae Aragonum facta anno 1590. quatuorvirale quoddam et intercomitiale munus designatum fuit, ex quatuor ordinibus<sup>a</sup>) regni conflatum. Cui qui tunc praepositi fuerunt ex eo, quod in magistratum inquirere debebant, *Inquisitores Officii Iustitiae Aragonum* dicti sunt. Inquirendi autem sic ipsis fuit publica lege potestas definita.

I. De octo viris ex quatuor brachiis i. e. ordinibus regni, per Deputatos Aragoniae regi nominandis, quatuor eligere debebat rex. II. Denuntiatoris nomen et substantiam eorum, quae contra Iustitiam denuntiaverat, per notarium inscribi curabant Inquisitores in actis processus inquisitionis. III. Tribus mensibus anni cujuslibet, Martii videlicet, Julii atque Novembris instituenda erat Inquisitio. IV. Neque cum rege neque cum ullo alio communicare licebat Inquisitoribus Inquisitionis arcana ante publicationem, quae fieri debebat in primis curiis generalibus aut particularibus, de biennio in biennium celebrandis. V. Facta publicatione eadem Inquisitiones debebant finire infra spatium quatuor mensium exinde sequentium. VI. Per id temporis accusati ad defensionem, quae poterant, adferre debebant. VII. His peractis Pro-

curator Curiae Aragonum, in primis actibus Comitiorum ab Ordinibus constituendus, et quae Iustitia et quae denunciatores ejus protulerant, discutiebat et moderandae inquisitioni praeerat. VIII. Finitis inquisitionibus non poterat ad alios actus Curiae procedi prius, quam ipsae inquisitiones per definitivam sententiam, a rege et quatuor regni Ordinibus serendam, fuerant terminatae. IX. Inquisitionibus pendens, iisve per definitivam sententiam non finitis, ad suspensionem Iustitiae procedi non poterat. X. Successoribus rationem reddere debebant de administrato Inquisitionis munere Inquisitores. XI. A regibus in officiis exequendis e legis sententia nullo modo poterant impediri. b)

a) Quatuor regni Aragonum ordines (*los quatro Braços del Reyno*) efficiebant: 1. Ricci homines. 2. Ordo equestris. 3. Ordo civicus et municipalis. 4. Ordo ecclesiasticus.

b) cf. *Blanca* l. c. p. 770-775. Huic legi ferendae quid occasione dederit, nos quidem ex iis, quos hac de re legitimus, auctoribus eruere haud potuimus. Forsan adjunctio illa iudicis, a Joanne I. cf. §. 7. tentata, causae fuit, ut forma illius iudicii censorii, ejus mutatio jam dudum fuerat necessaria, jamjam curatius constitueretur.

§. 9.

A *Martino* rege, qui Joanni I. anno 1395. successerat, pauca in Aragonia patrata fuere, quae no-



tatu digna sint. Vaterno, pinguedine ac praemature senio confectus rex nobilem illam Barcinonensium Comitum virilem profapiam primariam magna sine gloria finivit. <sup>a)</sup>)

Ex iis autem, quae a *Joanne Eximini Cerdano* sub hoc rege gesta sunt, unum tantum adtulerunt auctores memoratu dignius.

Nimirum Villanovanus vicecomes D. Petrus *Ladron* Chelvae valli dominabatur, quae, quanquam intra Valentinos fines constituta, Aragonum legibus subiacebat. Valentineses vero magistratus jam pridem, vivente adhuc Joanne rege, eam omnem pervertebant judiciorum rationem. Itaque Vicecomes ipse hanc juris laesionem statuens sibi ac suis esse nocentissimam, saepenumero Joannis ac Martini regum fidem prece humili fuerat obtestatus: ne paterentur, jus suum ea in re tantopere violari. At quum nihil profecisset quotidianis hujusmodi jactatis querelis, a Joanne Eximini Cerdano, Aragonum Justitia, flagitavit, ut peregrinae huic Valentinarum insolentiae magistratus interponeret auctoritatem et vim. Cerdanus, solita interdictione concessa, Valentineses magistratus, qui noxii dicebantur, praescripta die jubebat adesse coram se, ut de officiis suis responderent. Sed hi ne citati quidem comparuere. Immo id pro nihilo putantes graviora adhuc acerbioraque sunt moliti. Justitia itaque Aragonum istius facti vindicationem in commodius tempus differebat, ne se forte, ut erat prudens ac providus, eo demitteret, unde nullus esset Valentinis ac fortasse Aragonibus etiam

nisi exitialis exitus futurus. Immo tamdiu connivebat, ut omnes crederent, pristinam illam animi sui fortitudinem non jam diuturno aliquo, sed sempiterno fuisse somno confopitam.

At quum anno 1399. ad festorum celebritatem, in quibus Martinus rex insigni regium suscipiebat, Valentinorum legati convenissent, Justitia Aragonum tenens, quam optaverat, occasionem, omnia eorum bona, illatarum injuriarum pignora, magistratus auctoritate occupavit. Hinc maximi tumultus excitati sunt. Rex enim adeo id acerbe tulit ac moleste, ut nativa sua lenitate seposita, vehementem sese jam praeberet ac ferocem. At ut rex indignatus erat, edicto tamen Justitiae Aragonum parendum fuit, ipsiusque magistratus praesidio Vicecomitis et suorum causae in antiquum statum restituta sunt. <sup>b)</sup>

a) cf. praesertim finis vitae Martini apud *Laurentium Vallam* de rebus a Ferdinando Aragoniae rege gestis. L. II. in *Hisp. illustr.* T. I. p. 752. et sq.

b) cf. *Blanca* l. c. p. 690 et 691. *Zurita* l. c. p. 266. Si *Zurita* l. c. dicit: non modo *paciente* sed etiam *libente* rege *Ladronem* jus suum obtinuisse, ipsi fidem adhibere hant possumus, quum *Blanca* omnem hanc rem ex ipsius *Justitiae* epistola cf. p. 317. tam fide referat, ut adeo *Cerdani* jocum addat: *Por esto el Sennor Rey Don Martyn fue muy sanroso, et congoxado contra mi. E me dixeron los Medges suyos, que yo era el millor Medge de la tierra: que avia seyto tornar el dito Sennor Rey de fleumatico en colerico. Pacientiam* quidem etiam *Blanca* teste rex exercuit; an vero *lubenter* id fecerit, jure dubitamus.



Defuncto Martino rege univcrsa coepit respublica Aragonum, quasi navis quaedam in alto fluitans, incerto cursu agitari. Quinque enim prodicere acerri- mi regni competitores; unde in Aragonia, Valentia atque Catalonia magna orta sunt dissidia ac bella intestina. At liberae hae nationes, legibus et iustiae formae in pertractandis publicis rebus jam pridem ad- fuctae, mox ad ordinem redierunt, et per novem le- gitime constitutos iudices communes, successione jure discussio, iusto atque solemnino modo, medio aevo perquam raro, *Ferdinandum*, infantem Castellae, anno 1412. regem elegerunt.

De *Cerdani* quidem in hac re praefita virtute et comprobata sapientia multa facit verba Hieronymus Blanca; at si rem curatius consideramus, verba sunt, quae protulit praeclarus hic auctor, non facta. Ete- nim si exceperis, quod *Cerdanus* anno 1411. *Jacobo Urgelitano* comiti Gubernatoris Aragoniae officium abrogaverit, et cum *Egidio Lihorrio*, Aragoniae gu- bernatore, regni comitia, Calatajubii habenda, in- dixerit, iisque praefuerit, quod denique iudices, re- gem creaturos, elegerit, pauca invenies apud Blan- cam, quae his temporibus a Iustitia Aragonum prae- clare sint gesta.

Verum enimvero *Catalani* potissimum fuere, quo- rum virtus in his rebus maxime enituit.

Dein etiam plura non tanquam Aragonum Iusti- tia, sed tanquam civis patravit *Cerdanus*.

Et *Berengarius Bardaxinus*, homo juris et publici

et privati apud Aragonos peritissimus, ad hanc tempe-  
 statem sedandam non minus operae, studii atque in-  
 dustriae contulit, quam ipse Justitia. Id autem com-  
 muni omnium decreto atque opera effectum fuit, ut  
 Ferdinandus spondere deberet, se in judiciorum mo-  
 ribus, populorum scitis ac libertatibus nil quidquam  
 mutaturum, sed praescripta jam uniuscujusque rei-  
 publicae moderandae forma usurum.

a) *Catalanos* Hieronymus Blanca l. c. p. 690. multum  
 laudat dicens: Sed Catalanorum adhibitam operam tacitus  
 nullo modo praeterire possum: quandoquidem in ea repub-  
 licae jactura, tametsi nostri cum ipsis conditione pares, et  
 fortunae socii extiterant, atque interdum etiam ob graves  
 nostrorum eventorum casus inferiores; longe tamen nostros  
 sedulitate ac concordia superarunt. Semper enim primi in  
 exquirendis consiliis fuerunt: in exequendis autem hant no-  
 vissimi: tum magis inter se concordēs et conjuncti privatas  
 suas inimicitias, quanquam graves ac veteres, alacri animo  
 et vultu ob communem et publicam causam deponentes.

Memuisse forsitan juvabit lectores, quam constantes sese  
 praebuerint atque fortes Catalani sub initio Saeculi XVIII. in  
 bello contra Philippum V. gesto.

b) De illo Blanca l. c. p. 685. dicit: Illius non in sen-  
 tentiis solum, sed etiam in nitu tanta residebat auctoritas,  
 ut ejus domus sine dubio totius regni esset oraculum, et ad  
 respondendum et ad agendum, et cavendum omnium peri-  
 tissimus videretur.

c) cf. Blanca l. c. p. 682-698.



Calendis Augusti anno 1412. *Ferdinandus*, Castellae infans, Caesaraugustam alacer ac laetus introivit, ibique summo cum honore exceptus est. Paulo post in templo maximo Caesaraugustano magna omnium consensione constitutus rex, spectatam Aragonum fidem postulavit, suam prius huic populo solito nexu obligando, se patrios mores, regnicita, leges ac libertates omnes servaturum.

*Jacobi Urgelitani* Comitis seditione anno 1413. a *Ferdinando* sedata, reviviscere coeperunt in Aragonia pax atque tranquillitas, atque omnes sese sub hoc rege pristinae libertatis luce recrearunt. At immatura mors angustum ipsi dedit campum, in quo excurrere virtus ejus posset et cognosci. Etenim anno 1416. regni sui quarto in medio suarum rerum cecidit cursu. <sup>a)</sup>

*Joannes Eximini Cerdanus*, Aragonum Justitia, nil quidquam sub hoc rege patravit, quod ad muneris dignitatem magnopere ornandam pertineret.

a) Si *Laurentium Vallam* l. c. p. 773. audimus, non erat, cur Aragonae praematuram *Ferdinandi* mortem vehementer dolerent. Et vera esse, quae hic de rege retulit *Valla*, ea confirmant, quae de eodem rege idem auctor l. c. p. 781-784. enarravit.

b) cf. *Blanca* l. c. p. 698-701. *Ferreras* l. c. T. VI. p. IX. p. 263-264.

## §. 12.

*Alfonſus V.*, qui ab anno 1416. uſque ad annum 1458. in Aragonia regnavit, utut celebratur a viris doctis atque hiſtoricis; tamen ſi regna ejus in Hiſpania ſpectes, pauca invenies, quae ab eo his in terris praeclare ſint geſta. Etenim Neapolitani regni expugnandi cupidior rex erat, quam Aragoniae bene moderandae. Quid? quod pene omnem harum provinciarum curam *Mariae* uxori commiſit; cujus ſub imperio quaedam memorabiles Juſtitiatuſ mutationes factae ſunt, quas jamjam cum aliis rebus ad Juſtitias hujus temporis pertinentibus, referemus.

## §. 15.

Statim ſub initio regni ſui memorabile in Juſtitiam Aragonum ſeveritatis exemplum prodidit *Alfonſus*.

Nimirum praeclarus ille Juſtitia, *Joannes Eximii Cerdanus*, poſtquam Alvarum quendam Garavitum, ortu Caſtellanum, regis domeſticum a Bajulia generali Aragonum magiſtratus auctoritate prohibuiſſet, quod alienigenam eo munere fungi publica lex vetabat; *Alfonſus* rex id tam aegre tulit, ut, quoquo modo poſſet, Cerdano Juſtitiatum abrogandum conſtitueret.

Nondum enim magiſtratus ea erat abrogationis difficultate ſeptus, qua poſtea. Itaque eo rem perduxit rex, (qua via id eſſe cerit, haut patet) ut Juſti-



tia hic sponſionem de magiſtratu deponendo faceret, quotiescumque id fieri regi placeret; neque ut ſe verbis obligaret ſolum, ſed ut adderet etiam chirographi cautionem. Fecit quidem Cerdanus initio, quae rex ipſi praeceperat. At nonnullis interpoſitis diebus, quum Alfonſus, quam ſibi dederat, a Cerdano fidem poſtularet, hic tergiverſationem ac moram interponens, licentius reſpondit, eam, in qua danda quis fraudetur, nullam eſſe fidem.

Qua reſponſione læceſſitus Alfonſus cum ab eo vehementius, ut promiſſis ſtaret, contenderet, nec voluntati illius ſatiſfaceret Juſtitia, huic tandem magiſtratum abrogavit, perinde eſſe decernens, ac ſi Juſtitia ipſe, fidem ſuam liberans, ſeſemetipſum munere abdiçaſſet. Quid? quod rex ipſe palam per omnes urbis vicos ac plateas a praeconibus praedicari id juſſit, quo magis perſpicuum fieret, conſtareque inter omnes, deinceps Cerdanum non publicam et gravem magiſtratus, ſed privatam ſolummodo perſonam ſuſtinere. Juſtitia vero ſe ita regis ira percuſſum aegre ferens, hanc eſſe duxit opitulandi ſibi praeciſam poteſtatem, quin ad tuendum magiſtratum magiſtratus ipſius praeciſia ſibi compararet. A *Joanne igitur Petri Caſſeda* Iuriſperito, ipſius Locumtenente, *Juris firmam*<sup>a)</sup> impetravit, qua ſine ulla exceptione, ut erat conſuetudo, regis ſuſtulit interdicta. Nihilominus tamen aliquot poſt dies Juſtitiatum depoſuit, quoniam nolebat hac de cauſa jurgio cum rege contendere. Alvaro Garavito Bajulia Generalis Aragonum commiſſa eſt; <sup>b)</sup> et is ſinis fuit Cerdani Juſtitiatuſ. <sup>c)</sup>

a) *Jurisfirmæ* notionem ita explicavit *Blanca* p. 751: *Jurisfirma* (*Firmo del Derecho*) sive ea sit gravaminum factorum seu fiendorum nihil aliud est, nisi tum in regum aliorumve judicum, tum etiam regni nostrorumque omnium non rectos impetus juris ac legum firma et moderata dominatio. Illius autem finis est, ut cum *de stando et parendo juri* coram ipso *Justitia* Aragonum firmiter et graviter asseveremus: hujus interdicto interposito, *fortuna nostræ* ab injusta et non ferenda judicum injuria arceatur. Ab eo quod de stando juri firmiter pollicemur, *Jurisfirmæ* sibi nomen invenit. *Jurisfirma* ad res, *manifestatio* autem ad personas tuendas instituta erat. cf. illust. *Reneri* Abrifs des gesellschaftlichen Lebens u. f. w. T. I. p. 212.

b) cf. *Blanca* l. c. p. 322.

c) cf. *Blanca* l. c. p. 313.

§. 14.

In Cerdani locum successit anno circiter 1425. *Berengarius Bardaxinus*, egregius ille juris consultus, cujus supra §. 10. mentionem fecimus.

Quam in eligendo quondam rege comprobaverat industriam atque prudentiam, eadem etiam *Justitiatus* ipsius fuit insignitus. Etenim *Justitiatus* *Berengarii* eo potissimum memorabilis fuit, quod domestica omni de publico jure disceptatione careret. Quare etiam *Alfonfus V.* rex de hoc *Justitia* prædicabat: *si cui uni possent rectissime omnia committi, Bardaxino parem aut secundum invenirem neminem.*

E vita excessit anno 1430. <sup>a)</sup>

a) cf. *Blanca* l. c. p. 319-321.



## §. 15.

De Iustitiatu *Francisci Zarzuelae*, qui Berengario anno 1432. succellerat, unam tantummodo rem, notatu dignam, narravit *Blanca*.<sup>a)</sup>

Quum mercatores Aragonensium, Hiberum flumen navigantes, a Catalanis tractarentur injuriosius, quam aut per publicas leges liceret, aut tanta animum ac vicinatis conjunctio permetteret, *Sanctius Francia*, Justitiae auctoritate, cujus amplo Locumtenentis munere fungebatur, anno 1452. Catalanis edicto suo sanxit: ut ab Hiberi alveo quam cito removerent, quaecumque possent navicularibus Aragoniae obstare, quo minus a Caesaraugustana urbe ad Dertolam usque perquam facilis navigatio pateret. Quod si fieret optime; sin minus, judicium sese edixit daturum injuriarum, quod Aragonensium ab omnibus his injuriis vindicaret. At Catalanos ferunt hujusmodi consiliis statim paruisse.

Ita Justitia Aragonum domesticorum non solum, sed etiam vicinorum averfos a ratione motus rationis regula quondam temperavit.

<sup>a)</sup> l. c. p. 321.

## §. 16.

*Martinus Didaci Auxius*, ab anno 1454. usque ad annum 1459. Aragonum Justitia, multum et industria valuit et usu complurium negotiorum, et in Iustitiatu bene gerendo ita curiosus fuit, ut longe multos diligentia superaret.

Constantiae, aut si malueris, pertinaciae graves poenas perfolvere debebat. En singularem historiam.

Martinus, quum Iustitia crearetur, Alfonso V. regi, chirographi cautione interposita, sponde- rat, sese Iustitiatui esse renuntiaturum toties, quoties sibi restitueretur officium Bajuliae generalis regni Aragonum. At in comitiis, Alcagnitii anno 1456. Martino adfidente habitis, hic una cum amicis legem sancivit: *ne per Dominum regem aut ejus Locumtenentem, vel alios judices Iustitia posset judicari, nec contra eum aliquo modo per eos procedi; nec compelli posset ad renuntiandum officio Iustitiatus.*

Hoc calumniam sibi illatam censebat Alfonso. Postulabat itaque Maria regina a Martino, ut officio cederet et renuntiaret juxta ea, quae promiserat, simulque addebat, sese restitutam esse ipsi generalis Bajuliae officium. At Iustitia lege sda fretus, nec promissis stare, nec regi obtemperare voluit; et quum in chirographo supra memorato dictum fuisset: *si renuntiare Iustitiatui recusaverit Iustitia, quod incurreret in poenam, quamcumque rex vellet*, dixit Martinus, velle se subire poenas, quascumque rex velit, et perdere potius vitam, quam renuntiare. Neque vero illi postea rex solam hujusmodi calumniam, sed alia etiam crimina objiciebat. Iustitia vero de objectis nihil confessus, interposita regii judicii rejectione, se novae legis praesidio defendebat, jamque de factis suis nullum judicium fieri posse, nisi institutis comitiis, affirmabat. Verum regi



haec excusatio non probata. Itaque cum in proposita sententia perseveraret Martinus, anno 1439. a Maria regina, Alfonsi uxore, sive ut *Zurita* perhibet, a *Joanne* Navarrae rege, ejusdem Alfonsi fratre, ut Justitiatum deponeret, monitus, non hoc solum, verum etiam libertate fuit orbatus. Etenim concubia quadam nocte comprehensus, clam ad Valentinum regnum ligatus deductus, Saetabique in carcerem coniectus fuit, ubi infelix et aerumnosus interiit. <sup>a)</sup>

a) cf. *Ferreras* l. c. T. VI. P. IX. p. 505 et *Blanca* l. c. p. 822-824.

§. 17.

Mors liberorum hominum vita libertatis est, pro qua illam oppetierunt. Id quidem saepissime videre est in historiis.

Interiit Martinus Didaci Auxius; obiit Cerdanus, postquam Alfonsus Magnanius magistratum ipsi abrogarat. At e calamitate horum virorum saluberrima orta lex est.

Etenim Aragones in proximorum Justitiarum exemplis periclitati, publica lege, in comitiis anno 1442. lata, magistratum ipsum maxima abrogationis difficultate sepeferunt, decernentes: *pacta omnia et promissa, quae in pesterum quoquomodo de eodem deponendo fierent, irrita futura et infecta, ac nullam prorsus vim foederis habitura. Quin Justi-*

tiam Aragonum, postquam a rege praefectus sit munerari, ad solius regis nutum nequaquam pendere: neque magistratum eidem, praeterquam a rege cum regno simul, posse abrogari.

Et cum ea comitia, absente rege, a Maria uxore habita fuissent, quia in Mariae gubernatione Alfonso maritus, in Neapolitana expugnatione occupatus, univcrsum Aragoniae regnum posuerat; et quamvis ipse ad servandas leges, quae tunc editae fuerant, hoc pignore censebatur esse obligatus factis, quod pro eo regina sponddisset: tamen Aragoncs, volentes majorem quoque cautionem adhibere, statuerunt, sponsonem illam ab ipso rege in ipsius Justitiae Aragonum verba fieri debere: cum cae praecipuae partes magistratus essent, publicae nempe a regibus recipiendae fidei. Itaque istius rei causa Ferrarius Lanuza I., tum temporis Justitia, ad regem est legatus: atque ab ipso, decreta omnia adprobante, fidem recepit, solenni religione constrictam, se ab iis nec transversum unquam unguem discessurum.<sup>a)</sup>

Eadem lege etiam edictum fuit: *Ne Justitia Aragonum deinceps ob civilem possit causam comprehendere in custodiasve includi, nisi de regis simul ac regni praecepto.*<sup>b)</sup>

a) cf. Blanca l. c. p. 825.

b) cf. Blanca l. c. p. 701. Leges ipsas loquentes, ut ait Blanca, induxit p. 752.



## §. 18.

Ex concubinis Alfonso V. rex duas habebat filias, quarum alteram, Mariam, Ferrariensi tunc Marchioni despondit, alteram, Eleonoram, Principi Rossano. Harum doti ingentem nimis pecuniam cum dixisset rex, solutione singula regnorum suorum oppida torqueri iussit, ac si filiae hae fuissent sibi ex legitimo natae matrimonio.

At Aragones statuentes, ea in re publicum jus gravissime violari, ad magistratus Iustitiae solitum auxilium confugerunt. Huic tum praerat jamjam memoratus *Ferrarius Lanuza L.* patriae libertatis diligentissimus praefes atque custos. Ab eo itaque exceptione impetrata, solito sui muneris Iurisdictionis remedio, facillime Aragones huic, quae regno inferebatur, injuriae resisterunt. Rex autem benigne tulit integrum ipsis servari jus libertatis. <sup>a)</sup>

a) cf. *Blanca* l. c. p. 702 et 325.

## §. 19.

Vix ac ne vix quidem *Joannes II.* anno 1458. Alfonso fratri in regno Aragonum successerat, quum domesticae illae discordiae, jam pridem ipsum inter ac filium *Carolus Fianae Principem* a regina nocentia concitatae, communem Aragonum rempublicam, quae tranquilla jamjam erat, tamquam turbine aliquo aut subita tempestate perverterent. <sup>a)</sup>

Magna sane injuria erat, qua filium adfecit pater. Etenim Joannes II. Carolum regni Navarrae gubernaculo, quod mater ipsi haereditario jure reliquerat, non solum repulit, verum etiam post multos variosque casus, concessa a patre venia, ad paternam fidem confugientem filium Ilerdam, ubi Catalanicae gentis comitia erant, infidiose evocavit, ibique paterno amore et comitiorum sanctitate fretum filium justa sine causa in carcerem conjecit.

Fremebat populus: novercales fraudes accusabat: proceres inter se conjurationes inibant, jurantes, nisi principe liberato se hautquaquam quieturos. Immo Catalani (quorum constantiam, fortitudinem, justitiae atque libertatis amorem si specto, nescio, annon praeferendi sint ipsis Aragonibus) quia Vianae Principi libertatem reddi nullis legatis non impetrabant, a verbis ad arma veniunt, armis ostendunt, sese in Aragoniam irrupturos, nisi aequifimo postulato foret satisfactum. Necessitate compulsus Joannes II. rex filio libertatem reddit. <sup>b.)</sup>

Verum enim vero Catalani solum modo fuere, quorum ope ac constantia reddita Carolo libertas fuit. Etenim *Ferrarius Lanuza. I.*, tum temporis Aragonum Justitia, nil quidquam gravi in hac causa peregit, quod memoratu officiove suo dignum fuisset. A regis partibus stans, hujus benevolentiam aucupari maluit, quam imitari praeclarum illud, cujus supra §. 6. mentionem fecimus, *Dominici Cerdani* exemplum. <sup>a.)</sup>



a) cf. *Blanca* l. c. p. 705.

b) cf. *Ferreras* l. c. T. VII. P. X. p. 117-119. *Mariana* l. c. L. XXIII. in *Hisp. illustr.* T. IV. p. 61. 62.

c) Quam bellica gens *Catalani* tum temporis fuerint, elucet etiam ex descriptione, quam de illis fecit *Laurentius Valla* l. c. p. 775. Nemo fere, inquit, Herdensium est, ac paene in omni Catalonia, quin propter intestinas etiam privatorum discordias arma domi habeat, saltem gladium, lanceam, pugionem, clypeum: nec domi modo, sed ad latus fere, atque in manu. Si quidem in concilia de communi re consulturis, et in templa oraturis, arma portare vitio non datur.

d) cf. *Blanca* l. c. p. 825. et 826.

§. 20.

Eodem fere tempore, quo *Carolus Vianae* Princeps, a patre oppressus et a *Iustitia* derelictus, misere interiit, (anno 1461.) *Ferrarii Lanuzae*. I. *Iustitiat*us alia quadam re perquam memorabili fuit insignitus.

Nimirum quum jamjam dignitas *Iustitiae* admodum esset amplificata, iudicium vero illud, cui ut supra §. 8. enarravimus, magistratus hic subiectus erat, pluribus laboraret vitis; *Aragones* statim sub initio regni *Joannis II.* curarunt, ut severiori in posterum iudicio subjaceret *Iustitia*, neque vero licentia redundaret.

Etenim quum, vi legis supra memoratae, sententiae de *Iustitia* pronuntiandae, non nisi per quatuor regni ordines atque regem in regni comitiis ferri possent; in tanto hominum concursu difficile factu erat, ut

et ipsi ordines secum et simul omnes cum regibus in sententiis ferendis convenirent. Quin imò in alia comitia plerumque solebant judicia haec differri. Neque ea semper pondere ac delectu ferbantur, sed impetu ac furore nonnunquam, cum interdum etiam ex imperitiae multitudinis errore penderent. Unde etiam factum erat, ut jamdudum Aragones emendando huic judicio operam navarent. At quas hucusque hac de re leges sanxerant, haud magni erant momenti. Postquam vero *Joannes II.* ad regni gubernacula accesserat, in comitiis, Catalajubii anno 1461. habitis, unanimi consensu statutum fuit: multitudinem in hoc judicio fugiendam et paucos judices constituendos esse. Septemdecim igitur judices creati. Neque vero jamjam ad maturitatem pervenit, quod Comitia feliciter inceperant.

Vero est simile, mortem Caroli, Vianae Principis, curamque Joannis de successione Ferdinandi II., atque turbas a Catalaris excitas impedito fuisse, quo minus Aragones, quod bene excogitarant institutum, etiam perficerent.

At sexennio post, in comitiis anno 1467. Caesaraugustae habitis, amplissima lege sancitum fuit, ut censorium hoc de Justitia judicium mutuis exerceretur et Inquisitorum et Septemdecim Virorum officiis, ita, ut illi munirent judicandiam, hi autem sententiam pronuntiarent. Utriusque autem collegii forma his fere legibus fuit constituta. I. Inquisitores sortito quotan-



nis erant capiendi; Septemdecim viri autem, for-  
 fito quamvis, non tamen singulis annis, nisi quum  
 eorum ope indigebat respublica. II. Inquisitores  
 prioribus decem Aprilis mensis diebus, cujuslibet  
 anni, Caesaraugustae convenire, suique potestatem  
 facere debebant, ut ab omnibus possent adiri. III.  
 Prima quaque ejusdem mensis die, Inquisitorum  
 iussu, publici praecones maxima voce citabant om-  
 nes, qui se a Justitia laesos arbitrarentur, ut apud  
 Inquisitores injuriam exponerent et prosequerentur.  
 IV. Si nemo aderat, qui intra decem illos dies de  
 Magistratus injuria conquereretur, eundem accu-  
 sandi tunc aditus omnis erat interclusus; nec Sep-  
 temdecim viri educebantur eo anno, finitumque  
 erat ipsa decima Aprilis mensis die Inquisitorum  
 Officium. V. Si quispiam autem, licet tenuissimus  
 homo, proposuerat, a Justitia contra se fuisse ali-  
 quid inique et injuriose decretum, vel non decre-  
 tum fortasse, quod juxta leges ipsas decerni de-  
 huerat, Inquisitorum potestas, usque ad decimam  
 Junii sequentis prorogabatur diem, ut actor age-  
 re, reus sese defendere posset coram Inquisito-  
 ribus. VI. Licet is, qui accusarat, postea jus  
 suum omne dimisisset, tamen, dummodo cau-  
 sa ejus legitimis praesentis fidejussoribus esset ro-  
 borata, nomen ejus, quem accusarat, ab Inquisito-  
 ribus ad Septemdecim viros erat deferendum.

Quo facto Procurator regni, publica lege accu-  
 sator constitutus, vehementem et acrem petitoris  
 personam capere debebat, eandem que illi haud prius

deponere licebat, quam singulas actiones, quarum Iustitia fuerat accusatus, tamquam perduellionis actiones fuerat prosequutus. VII. Si aderant, qui de Iustitia coram Inquisitoribus conquerebantur, e quatuor regni Ordinibus vicefima quaque Maji mensis die per Deputatos Aragoniae Septemdecim viri forte ducebantur. VIII. Sorte dati hi viri Deputatis iisdem, quorum edicto ad decimam Junii diem Caesaraugultam compellati erant, sacrosancto foedere fidem suam devincientes spondebant, se incorrupta, libera atque occulta de singulis causis suffragia esse laturos. IX. Paulo post iudicii loco ab illis confenso, ad eos, quae fuerant coram Inquisitoribus publicis monumentis mandata, perferebantur. Inquisitorum officium jamjam erat finitum. Solos apud Septemdecim viros de singulorum reorum capite et fortunis disceptatum. X. Intra quadraginta dierum spatium finiendum erat horum iudicia. XI. Tacita esse debebant iudicia. Hinc calculos adhibebant Septemdecim hi viri; albi absolutionem, nigri condemnationem significabant. XII. Eam sententiam pronuntiare debebant Septemdecim Viri, in quam major eorum pars incuberat. XIII. In suo quisque vitio plectendus erat; vis, capite: avaritia, mulcta: honoris cupiditas, ignominia. XIV. Si vero magistratus Septemdecim Virorum sententis absolutus erat, debebat ille, qui accusarat, expensi nummi ac contracti damni, poenam dupli subire. XV. Poenis a Septemdecim viris constitutis, provocationi nullus dabatur locus.



a) Jurisperiti omnes, publico legum edicto, a Septemdecim Virorum judicio erant repulsi. Noverant enim Aragonnes, a *Jurisperitis plerumque uno verbo aut littera jus omne torqueri*. In consiliis tamen, ut duo Jurisperiti adessent, a Septemdecim viris quam primum evocati, concesserunt. Sed hi nequibant definire jura; tametsi de singulis rebus ac de unoquoque reo judicando palam sua ferre suffragia tenebantur, non ut disceptatores aut judices; sed ut fideles tantum singulorum officiorum spectatores ac testes; atque ut scelerum indicia ostenderent, sententiarumque ferendarum Septemdecim ipsis viris viam patefacerent. cf. Hieron. *Blanca* l. c. p. 775.

b) cf. Hier. *Blanca* l. c. p. 773-775. et 704. et 326.

§. 21.

Præter hanc Inquisitionis Justitiæ Aragonum emendationem nil quidquam invenimus, quod regnante *Joanne II.* ab hoc magistratu præclarior sit gestum.

Cum magna autem rerum conversione, quæ per *Ferdinandum II.*, filium illius in Hispania facta est, nova eaque tertia nobis videtur initium cepisse Justitiatus periodus.

§. 22.

*De Curia Justitiæ Aragonum.*

Justitia posteaquam, coeperat multitudine litium et varietate causarum redundare; Jurisperiti eidem

adhibiti fuere, qui ejus loco ac nomine controversa jura judicialibus formulis tractarent ac legibus. Unde *Locumtenentes* (*Los Lugartenientes*) dicti sunt.

Ac primum quidem unicum tantum ipsi habere *Locumtenentem* licebat. Postea vero anno 1552. publica lege concessum fuit, ut duos *Locumtenentes* *Justitia* Aragonum constituere posset et ordinare. <sup>a)</sup>

Consiliis a *Locumtenentibus* habitis omnes, qui aderant *Caesaraugustae* *Jurisperiti*, exclusis partium, quae contendebant, advocatis, fuere adhibiti. Quae ex pluribus illorum suffragiis constabat, in eam partem propendere *Locumtenentes* jus erat. <sup>b)</sup>

*Locumtenentibus* additi etiam erant *Notarii* atque *Virgarii* (*los Vergueros*).

*Notariorum* sex habebat *Justitia*. Inter hos ita erant singula officia dispersita, ut quinque forensibus stipulationibus praesentent, ac unusquisque eorum, adhibitis a se aliis quoque inferioribus scribis, uniuscujusque *Locumtenentium* dicta perscriberet. Sextus vero *Comitorum Scriba* nuncupabatur. Hujus praecipuae partes erant, ut una cum primario ac principe regis scriptore comitialium omnium decretorum (*comitiis* enim, ut postea dicemus, praeeerat *Justitia*) auctoritatem publicis testaretur monumentis. <sup>c)</sup>

*Virgariorum* duo, lictorum more, praeferre solebant *Justitiae* *Justitiatus* insignia. Reliqui erant *apparitores*. <sup>d)</sup>

Totius hujus *Curiae*, excepta parte quadam *Virgariorum*, nemo ne pecuniaria quidem de re minima *iudex* esse poterat, nisi solus Aragonum *Justitia*. At



hic aequae ac Curia ipsius supremo illi Inquisitionis  
iudicio erat subiectus. 9)

a) cf. Blanca l. c. p. 756.

b) *Consilium* hoc Jurisperitorum, quod vocabatur *extraordinarium*, medio circiter saeculo XV. institutum, anno 1495 regnante Ferdinando II. Catholico, fuit immutatum; ubi quinque tantummodo Jurisperiti adhibiti fuere ad consulendum in causis criminalibus. cf. Blanca l. c. p. 757. 768. et p. 826. Quae ab illo decreta fuere, *Determinationes Consilii Iustitiae Aragonum* vocabantur.

c) cf. Blanca l. c. p. 760.

d) cf. ibidem. Addidit Blanca; Sat enim visum erat nostris, hos eidem esse lictores ac fatellites assignatos, cujus nos omnes, dum oporteat, necesse sit esse stipatores corporis Magistratus.

e) cf. idem p. 760 et p. 770-775.

#### §. 25.

##### *De reliquis Iustitiae Aragonum functionibus.*

Si ulla accidebat de legibus dubitatio, Iustitiae partes erant, ut, an rei, de qua quaerebatur, interdictum, actiove in legis mentem venerit, an non, declararet. In eo autem, quod ab ipso fuerat definitum, stare omnes jus erat decretum. 10)

In Comitiiis Aragonum praefes sedebat Justitia atque iudex. Statim enim sub initio Comitiorum coram eo, tanquam Comitiorum iudice, regius Procurator, qui *Fiscalis* vocabatur, pro indicta die absentes accusabat. Quarta huiusmodi per Fiscalem facta accusatione, a Magistratu absentibus multa irrogata decretumque fuit, absentium nullam habendam esse rationem, quo minus comitalis propositus exitus expediretur. Dum celebrabantur autem Comitia, sententias ferebat Justitia de controversiis, quae vel inter regem atque Ordines vel inter hos ipsos erant coortae. Si regem inter atque nonnullos Ordines lis intercedebat, Justitia iudicabat excluso rege et iis, de quorum privato jure contendebatur. In aliis autem quaestionibus, quae non inter regem atque Ordines sed inter hos ipsos extiterant, regis consilium, et aliorum, qui libere in ea causa jus dicere poterant, debebat adhiberi. Finitis Comitiiis rex de stabilitate eorum, quae in Comitiiis erant decreta, fidem suam Omnipotenti Deo, interposito iurejurando, in Justitiae Aragonum certa jam verba devinciebat. <sup>b)</sup>

A rege regi gubernacula capeffente solitum iuramentum Justitia accipiebat; quo nisi in Justitiae manibus facta, muneribus fungi regi non licebat. Regis autem Primogenitus, et qui pro rege munereungebatur, aequae ac rex in certa, usitata et lectissima Justitiae verba jurare debebant. <sup>c)</sup>



Denique legationibus, et negotiis cum exteris nationibus transigendis, Iustitia saepissime praecerat.

a) cf. *Blanca* l. c. p. 747. et 743.

b) cf. *idem* l. c. p. 763. et 769.

c) cf. *idem* p. 749.

§. 24.

Cogitanti mihi, quid tandem, iis certe temporibus, quae hucusque descripsimus, fuerit Iustitia Aragonum? admodum difficilis videtur enucleata hujus magistratus definitio.

Id quidem clarum est ac manifestum, vi potestatis, ab Unione in Iustitiam translatae, ipsi cavendum fuisse, ne leges atque jura Aragonum a regibus ipsorum laederentur. Quid? quod, ut dilerte ait *Blanca*, non praefectus Iustitiae, a) i. e. nullus iudex, si vocem sensu consueto sumseris, sed b) medius quidam iudex inter populum atque reges, (quorum unuscujusque infensa nimis alteri solet esse atque inimica natura,) i. e. *custos legum* fuit Iustitia. c)

At quid est *custos legum*? an ullus omnino praeter principem in civitate constitui potest? ac, si potest, qualis illi potestas concedenda est?

Si verum est, quod nostra quidem sententia nullo

modo negari potest, populo ex jure naturae supremae in principem inspectionis jus esse; consequitur omnino, Ephorum in civitate constituendum esse, qui juris illius minister sit. <sup>d)</sup>

Quonam vero modo haec hujus juris administratio instituenda sit, nobis, ut jam supra §. 1. diximus, definiendi haud est consilium.

Attamen si posueris, constituendum esse intra civitatis fines Ephorum, qui administrando huic juri praesit; id quidem statim elucet, illi nonnisi *potestatem absolute-prohibitivam* (sit venia verbo) esse concedendam. Quodsi enim, ut ita dicam, *potestas positiva* illi committeretur, idem in periculum incurreret populus, cujus avertendi gratia Ephorum constituerat. Etenim Ephorus aequae ac princeps potestate sua abuti potest.

Potestas autem illa absolute-prohibitiva nulla alia esse potest, nisi, ut Ephorus, si animadverterit, leges a Principe violatas esse, id populo, tamquam unico Principis judici, denuntiet, et quum regnante Principe nullus populus sensu strictiori addit, ante denuntiationem, ut sit populus, Principi magistratum abroget.

Duo itaque potissimum ad Ephorum bene institutum requiruntur: primum, ut *Ephorus Princi-*



*pis actiones observet, deinde, ut potestate nonnisi absolute-prohibitiva polleat.*

Quae quidem si ad Aragonum Iustitiam applicamus, ille, ut statim adparet, custos legum vel Ephorus, si vocem sensu strictiori sumseris, dici haut potest. Etenim Unionis potestati, quae in illum sub Petro IV. translata fuit, non solum Ephori, verum etiam Iudicis inhaerebat notio. Rici nimirum homines vi Unionis injurias, a rege Aragonum legibus illatas, non solum observabant, verum etiam vindicabant atque prohibebant. Quia immo ex iis omnibus, quae hucusque de Iustitia Aragonum enarravimus, elucet profecto, illum iudicis personam (regem videlicet inter atque populum) potissimum gessisse, neque vero solummodo potestate absolute-prohibitiva munitum fuisse.

Attamen quum non solum ea, quae rex, tamquam supremus legum executor, contra leges commiserat, Iustitiae iudicio subjacerent, verum etiam Iustitia ipse Inquisitionis adeoque populi iudicio subiectus esset, custos legum atque Ephorus, si vocem hanc latiori sensu sumseris, dici omnino potest.

Custodit enim profecto leges, qui ad illum semper attendit animum, cui illarum exequendarum commissa potestas est. Talis autem legum custos, quamvis potestate positiva gaudeat, tamen, certe sensu latiori, Ephorus dici potest, dummodo lege sanc-

tam sit, ut de administrato Ephoratu populi subire  
debeat iudicium.

His itaque temporibus, quae hucusque descripsi-  
mus, *Iustitia Aragonum non solum supremus hujus na-  
tionis ejusque regis iudex, verum etiam legum custos  
fuit atque Ephorus, dummodo vocem hanc sensu  
sumferis latiori.*

Verum enimvero multum falleretur, qui crede-  
ret, vituperandos esse Aragones, quod Ephoratum  
sensu strictiori sumtum hauri insituerint. Quin im-  
mo potius laudandi sunt hac de re quam vituperandi.  
Talis enim Ephoratus, qualis illis fuit, huic et aetati  
et genti unice conveniebat. Ephoratus autem s. st. sum-  
tus largissimam seditionum atque domesticarum dif-  
cordiarum praebuisset materiam.

Rici enim homines atque Optimates, qui tum  
temporis principem populi partem constituebant, lu-  
bentissime Ephori de rege querelas arripuissent, tam-  
quam occasionem, Unionem restituendi, adeoque  
omnem libertatem publicam pervertendi.

Fecere itaque Aragones, quod suo loco et suo  
tempore facere illis oportuit. Clariore quidem, qua  
nos jamjam gaudemus, cognitionis luce carebant; at  
castior forsitan vel certe constantior libertatis amor ani-  
mos illorum inflammavit, et semina iustitiae, per



germanas quondam nationes sparsa, in terris illorum lactifimos eosque diuturnos ediderunt fructus.

Ast interiit Iustitia Aragonum; interiit verus Hungarorum Palatinus. Et quod sane mirandum est, inennte hoc ipso, quod jamjam ad finem vergit, saeculo, haec omnia interierunt.

At altiori quodam libertatis amore animi nostrae aetatis hominum inflammantur.

Cave credas; falsam hanc libertatem esse complures dicitant.

Nationibus, quae illa gaudent, magna quaedam imminet rerum conversio. Aut peribunt; aut laetior lux rebus humanis adfulgebit.

a) cf. *Blanca* l. c. p. 570.

b) cf. *idem* l. c. p. 729.

c) cf. *idem* p. 747. 755. Ubi addidit *Blanca*: in publicis inscriptionibus majores nostri Iustitiam Aragonum vocabant *Circumspectum*: ac si ad cognomen hoc traducendam curarent argutam illam Ephorum nominis significationem: nempe qui eam tnetur in republica nostra personam, quae in speculis idcirco collocata est, ut diligentissime, quemadmodum unusquisque regionum magistratum in conservandis legibus se gerat, *circumspeciat*.

d) *Ephoratus politici* notionem nemo est, qui curatius derivaverit atque enucleatius exposuerit, quam *Fichtius*

in libro: *Grundlage des Naturrechts nach Principien der Wissenschaftslehre*, p. 192-225. Dignissima sane est omnis haec tractatio, quae a politicos cultoribus ponderetur, atque curationi, quam lucusque factum est, examini subiciatur. Ad Fichtianam Ephoratus theoriam proxime accedit, quod anno 1795. proposuit *Siefus*, Francogallorum Senator, de Curia Constitutionali (*Jurie Constitutionnaire*) in nova Francogallorum republica institienda. *Conservatorum Senatus*, (*le Senat Conservateur*) novissima, quam vocant, Constitutionis lego apud Francogallos sancitus, mancum quoddam et imperfectum nobis esse videtur Siesianae illius rogationis fragmentum. *Schellingius* denique in libro: *System des transcendentalen Idealismus* p. 411. et 199. paucis sed ponderosis verbis praecipuas, quae Fichtianum Ephoratum premunt, difficultates exposuit, et de populorum Arcopago est philosophatus. Spero fore, ut ingeniosus homo, quemadmodum *Jamjam* in *natura libertatem* investigat, ita quondam in *libertate naturam* sit ostensus.

---

### Corrigenda.

- p. 5. lin. 14. post vi leg. illam.  
 p. 8. 19. 20. 24. 27. loc. haut leg. haud.  
 p. 16. lin. 5. loc. suam leg. suum.
-









Zella, 1790-1800







Inches

Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1800

25

DE  
JUSTITIA ARAGONUM  
FRAGMENTUM

COMPLECTENS SUCCINCTAM HUIUS MA-  
GISTRATUS HISTORIAM AB ANNO 1348  
USQUE AD ANNUM 1479.

DISSERTATIO HISTORICA,  
QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO SE-  
RENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AUGUSTO

DUCE SAXONIAE JULIACI OLIVIAE MONTIUM ANCARIAE  
ET GUESTPHALIAE REL.

CONSENTIENTE

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM  
ORDINE

PRO VENIA LEGENDI RITE OBTINENDA  
PUBLICE DEFENDET

A. D. 25. AUGUSTI. 1800.

AUCTOR

CAROL. WILH. FRID. BREYER

PHILOSOPHIAE DOCTOR

RESPONDENTE

MATTHIA LIPTAY

HUNGARO.

I E N A E

EX OFFICINA FROMMANNI ET WESSELHÖFTII.